

1552 hoste non expectato, oppidum turpiter deseruit; Castaldo vero copiae ad dimicandum cum Turca non aderant. Et Sfortia Pallavicinus, qui, Italarum in Flaminia, ac Piceno tribus coactis millibus, per Adriaticum Sinum, Venetis permittentibus, Tergestum delatus, in Pannoniam se contulerat, Germanorumque peditum, & Hungarorum equitum manum sibi adjunxerat, a Budæ præfecto, qui ingentem equitatum comparaverat, laceffit, quod pugnae se subducere non posset, prælium inire coactus, cum magna animi vi per aliquot horas egregio fortitudinis exemplo hostium impetum sustinisset, multos interfecisset, Hungaris equitibus pugnam detrectantibus, est fusus, & profligatus: ipse saucius cum magna suorum parte captus, reliqui cæsi. Pallavicinus Budam perductus, haud multo post pecunia redemptus est; inde Castaldus Tordam se recepit; hostes complura Pannoniæ oppida, nullo obsistente, occupavere. Cæsar mense octobri Metim magnis viribus aggressus, cum nihil in ea civitate e Gallorum potestate eripienda, ingenti admoto exercitu, mœnium verberationibus, arcta obsidione, oppidum Guisio Duce fortiter tuente, profecisset; tandem exeunte anno abducere copias est coactus, cum interim Hedinum, quod Cæsareani occupaverant, Galli deditio- ne recepissent, atque eodem tempore in Subalpinis dubia, sæpiusque alternante fortuna, bellum gereretur.

*Sfortia Pal-
lavicinus a
Turcis pro-
fligatus &
captus.
Cæsar obsi-
dionem Me-
tensem dese-
rit.
Hedinum a
Gallis reco-
ptum.*

M. D. LIII.

1553

IN Hettruria quoque, Senensibus Gallorum ope in libertatem vindicatis, magnum belli incendium exoriebatur; cum Cæsar sibi illatam injuriam inultam minime passurum, sed continuo arma in eos moturum diceret; quamobrem Petro Toletano Proregi, ut cum Neapolitanorum, ac Germanorum copiis adversus Senas proficisceretur, injunxit. Cives, qui urbi administrandæ præerant, Ferrariensis Cardinalis, quem Henricus Senas miserat, opera, cum Rege foedus inierant, quo & portus, quibus classes exciperentur, præbituros, & per eorum fines tutum iter, commeatusque suppeditaturos polliciti fuerant. Rex illis præsto futurum, atque ab omni injuria, hostiumque impetu defensurum se se obstrinxerat. Inde haud

*Senenses cum
Gallis fo-
dus inierant.*